

ingenuum videbis, saltem in Epistola Belgica contra *Mullerum*, non est *Danus* illè uti putasti, sed Haganum nunc professor Historiæ Naturalis in Academia Erlangensi. videbis me a te Vir celeb. dissentire in eo quod *Calx* sit productum animale et quod de tua sententia erga *celleporam*, *corallinam androsacen*, et omnes corallinas, aberrem, et quæ de ea dixi ne in malam excipias partem rogo. Epistola mea obiter scripta est; nec ob sanitatem tum maxime vacillantem eam uti decet corrigere potui; quanti tamen te facio ex ea ipsa, ex omnibus, quæ huc usque edidi quæque prælo parata servo scripta videbis, sed de ea re veniam a te Vir celeb. me impetraturum tanto certius confido, cum meam opinionem haud temere et quasi ex tripodio dictam, deposuerim, et tu ipse non velles quod juram in verba magistri, rogas me *Vir celeb.* meas emendationes, atque augmenta in tuum Systema, sed hæ sunt modo compilationes ex Buffonio, Pallas, *Schaeffer*, *Drury*; ubi modo characteres genericos addidi ex iis auctoribus ampliores, solum modo genus *Antilopum* ex Pallantis miscellanea addidi, camelopardalin, a cervis seposui utens sui generis ob cornua longe a cervorum cornibus distantia, dentes spathulatos, et habitum corporis; quoad *Aves Sagittarium Vosmari*, genus novum addidi, quamvis ex unica constet specie, quem cum nescio an vidisti, hic ruditer depictum adjeci, prout infarctus exstat in Cimelio Principis, ad Falcones vere dictos proxime accedit. Ad genera avium, prorsus id. cum gallis *Buffonio Brissonioque* sentio, quod Aquilæ separandi sunt a Falconibus ob rostrum initio rectum, nec statim a basi incurvum.

*Serpentia* tua mihi quoad divisiones primarias maxime placent, sed quis est *Crotalus* tuus *mutus*, certe ad *Crotalos* referri debere credo, cum tu *Vir. celeb.* eum ibi collocare voluisti; sed *Crotalophorus* absque *crotalo* tuus et *Gymnotus Notopterus* D. *Pallas* mira videntur, Inter meas quas edo Epistolas, *De piscibus et amphibiiis Schlosseri* comparebit. *Chaetodon Clypeatus* specimen intermedium inter *Labros*, *Percas*, et *Sparos* atque *Sciaenas*, quæ quatuor genera lubenter in unum coegerem ego. quoad insecta, Characteres *Schaefferi*, tuis adjuncti definitionem generis dant *optimam*, cui ob antennarum rostrique figuram *Volucellas*, *Stomoxides*, *Nimotelos*, in propria genera reducerem. quoad species, *Simias* multas addidit *Buffonius* atque operi *Buffonii* celeberrimus proff. *Allamand* in editione *Amstelodamensi*. *Bradypum* digitis quinque pulcerrimum *Bengalensem* edidit *Vosmarius* in Systemate tuo nominandus *Bengalensis* *Bradypus digitis quinque pollice remoto, corpore pilis brevibus Vosm. mus. princip. quadr. tab. VI.* ad aves *Piscesque*, præter ea quæ *Pallas* *Vosmaar* et *d'aubenton* dederunt, mihi litteris mandavit *Gronovius* se 400 novas nosse species. ego addidi in epistola ad *Gronov. Echeneidem* *Palinurum*